



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt XVII. Sancti Bernardini de triplici genere pauperum sententia, &  
Codri, Crœsiq[ue] exempla.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

discantque Christiani, ne vel in paupertate fiant impatientes, Deumque accusent; vel in fugitiuis diuitijs nimis confidant.

Quid. lib. 3.  
de Trillib.

*Nempe dat, & quodcumq; libet fortuna, rapitq;  
Irus & est subito, qui modo Cræsus erat.*

### CAPVT XVII.

#### *S. Bernardini, de triplice genere pauperum, sententias & Codri Cræsiq; exempla.*

I.

**D**iuitias paupertatis, paulò priùs, ostendimus Lucianum descripsisse, more, & ore Philosophorum. Nunc coronidis loco, etiam Sancti alicuius testimonio, elogia paupertatis adijciamus. Est autem is Bernardinus, Senensis, Ordinis Minorum, ac vrbs Aquilæ patronus, vir æquè sanctus ac doctus, qui tres facit seu paupertatis, seu pauperum classes: *prima dicitur voluntaria, secunda necessaria, tertia simulatoria. Prima laudabilis, secunda tolerabilis, tertia detestabilis. Prima pauperum Christi, secunda pauperum mundi, tertia pauperum diaboli. Prima cum merito, secunda sine merito, tertia cum demerito.* Hunc ordinem si inuertamus, propemodum respondebunt hæ classes ijs, quæ suprâ ex Hugone attulimus, nisi quòd in prima alteraque classe aliquid variatur. Sed tertia Hugonis, quæ præcipua est, omnino eadem est, cum prima Bernardini, verùm cum magna paupertatis commendatione deducta. Omnes autem classes egregiè declarant, quid sit in hoc genere fugiendum, quid obuijs vlnis ab illis, qui perfectionem amant, aut diuinæ se se prouidentiae accommodare student, amplectendum.

S. Bernardin.  
Senens. tom.  
3. tractat. de  
S. beatit. 2. l.  
cap. 1. 2. & 3.

II.

Simulata ergo, detestabilis, diabolica, & inferno digna paupertas est, seu diuitis, seu egentis inuiti; hoc ipso pauperis, quia cupidus & avarus est: tantum enim illi deest, quantum cupit habere; tantumque torquetur animus eius, quantum inexplebilis avaritia suggerit esse cupiendum. *Attenuetur fame robur eius, & inedia innadat costas illius.* Nimirum auri sacra famæ istos extenuat; & cum non habent, quem deuorent, inedia consumuntur. Hi quò plus habent, plus desiderant; & semper, quò plus bibunt, plus sitiunt; sicut qui salas maris aquas hauriunt, bibendi appetunt.

Iob. 32. 12.

ritum semper magis accendunt. Et si ergo aureos montes possideant, tamen contenti non sunt, & simulant, se etiam ijs egere, quos recondiderunt, dum verè egent eo, quod optant, atque idcirco cruciantur. Hoc est, quod Propheta ait: *Simul in unum, diues & pauper.* Diues in avaritia, pauper in substantia. Parum enim illi videtur esse, quod habet; multum quo caret. His Apostolus scribit, *nullius aliquid desideretis.* Addit glossa: *Nedum rogetis, vel tol-* Quis furabatur, iam non fueretur. Magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti. Spectant ergo ad hanc classem pauperum, omnes fures, prædones, exactores iniqui, quia deest illis id, quod volunt clepere, rapere, prædari, aut importunissimè exigere. Spectant huc omnes avari, & ipsi etiam, qui in ponte sedent ad stipem exigendam, cum thesauros seruent sub centonibus, & à verè indigentibus eleemosynas auertant. Quin nec illos hinc religiosos excludit D. Bernardinus, qui ut conuiujs possint vacare, & cuticulam suam curare, nequaquam, ut pauperes decet, conuiuantur; atque ad hoc subditos suos nimio opere grauant. Horum meritò omnium vocat sanctus ille hypocriticam & falsam paupertatem; quæ execrabilis est, & diabolica, cui non promittitur *regnum calorum*, sed caminus ignis ardentis. Nam tales cum diuite illo in inferno sepeliuntur.

Secunda paupertas, varijs de causis, est necessaria. Neque enim ficta, sed vera est, & vel non optanti venit; quia illis hereditaria est, aut propria culpa, aut casu, aut certè diuino consilio & prouidentia accidit. Nonnulli enim à quatuor auis sunt pauperes. Nonnullos tesserae aut astragali, aut ludus pilæ fecit pauperes. Quibusdam diuitiæ per guttur defluerunt. Quosdam naufragia, quosdam incendia, quosdam bella atque hostes, quosdam tutores, quosdam fures ad incitas redegerunt. Denique mille sunt scopuli, ad quos opes alliduntur. Itaque isti à D. Bernardino vocantur *pauperes huius mundi*, de quibus dicitur: *Pauperes semper habetis vobiscum.* Hæc paupertas est simplex carentia diuitiarum; malis, & malè se in ea gerentibus mala; bona bonis ac patienter eam ferentibus. Aliqui enim, ob inopiam, se domi continent, aut in eis concedunt, vitant publicum, & sicut vesperaliones apud

Psal. 49. 9

1. Thessal. 4

Ephes. 4

III.

Ioan. 12. 8

A. Iopura

Æscopum, interdum videri nolunt. Præsertim autem nobiles, grauius sentiunt hanc calamitatem; putant enim eam sibi dedecori esse; neque stemmati suo conuenientem. Alias vestes, alium victum, aliam habitationem, aliam autoritatē maiores habuerunt. Primi in curijs, primi in aulis, primi in conuiujs sederunt. Omnia hæc vel extinxit paupertas, vel eneruauit. Quare turbantur & fluctuant; quidam franguntur; quidam nunc in hanc, nunc in illam partem nutant; quidam ad sacram anchoram confugiunt, & spem suam in Deum figunt.

IV.

Quod ut faciant, ita eos D. Bernardinus compellat. *O pauper verecunde, vis sequi consilium meum, ultro paupertati occurre; venientem lato animo patentibus valuis accipiens, atq; amplectere amplectens. Prima enim fronte rigida ac subristis non immerito viatori, atq; armato exaquata, eò quòd celer minaxq; sit aduentus illius. At cum in familiaritatem admissa fuerit, & minime sumtuosa, & secunda, ac facilis hospes erit. Crede mihi, aperi illi ocyus antequam vi subita confringat, atq; ostys vulsis à cardine vitæ introeat, ut resistens per molesta, si cedentibus periucunda est. Mollius quidem diuitie subiissent, sed paupertas tutius. Nulla opes sunt; quibus non sit anteponenda securitas. Profecto ut animo inopi ac deiecto nulla non desiciunt opes: sic diuiti atq; erecto nulla non sufficit paupertas. Nempe ille alieno innititur, hic proprio fudit. Si paupertatem patienter tuleris, solito tris humilior, expeditior, atque liberior. Vacui amant incedere, qui iter arduum agunt. Carebis solitis opibus, simulq; solitis moribus, atque sarribus, nec non & proteruis seruis ijsq; quibus solent abundare diuitia, felis amicitijs, sequacibus ac tenacibus parasitis, totoq; illo grege domestica arridentium tibi, teq; rodentium, atque ridentium. Denique si amissa opes, cum amissis tedijs conferas, lucrum vocas. Certè ut securitatem scilicet, humilitatem, sobrietatem, requiem, modestiam, paupertatis comites, si nihil boni aliud illa secum afferret (quamquam etiam fallacium gregibus adulantium, & seruorum tyrannide superbiorum liberet) abunde erat cause, ut non ferenda modo esset, sed optanda, immo etiam necessaria pauperies. Profecto, ut audacter testimonium perhibeam veritati, nihil inter homines paupertate melius, nihil odibilius. Sed vir sapiens facit de necessitate virtutem, & ubi paupertatis necessitas urget, prudentia libera voluntatis accipiet: vel potius, quod melius est, amplectetur.*

glexeretur. Recole pauper quod Prover. 17. c. scriptum est. Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum iurgio. Et 15. cap. iterum Salomon ait: Melius est parum cum timore Dei, quam thesauri magni & insatiabiles.

Hæc sanctus ille pro solatio depauperatorum, aut pauperum. Quibus subiungit exemplum parallelum ei, quod paulo supra, è Luciano attuli. Est autem istud. Contiguus in ædibus habitabant duo, æquè peculio ac domicilio discrepantes, viri. Vnus in magnifico palatio, tamquam draco Hesperidum pomis, ita facis & cistis & thesauris suis incubabat. Alter in vili casâ rudes lanas excolebat. Dixisses Midam & Irum in viciniam conuenisse. Diues, vt fieri plerumque solet, totas noctes insomnes traducebat: nam in molli lecto durus illi somnus erat. Saturitas enim & venter nimio cibo saburratus, identidem sudantem dormire vix vquam aut conuiere sinebat. Accessit cura & sollicitudo pecuniarum, quæ eum miris modis torquebat. Cùm interea vigilans vicinum pauperem audiret, iuxta igniculum suum, in multam noctem, æquè hilariter cantantem & lætè ludentem, ac strenuè laborantem, ac penso absoluto, repentè altum silentem, suauiterque quiescentem, donec manè ab vxore denuò excitaretur. Quàm primum enim dormitum se recepit, in somnum solutus obticuit. Nullæ querelæ, nulli gemitus, suspiria nulla, soli ronchi audiebantur. Inuidit hanc quietem pauperi diues. Vt ergo eum sollicitudinum ac miseriarum suarum socium haberet, aliquando in tempesta nocte, clam surrexit, ostiumque vicini, quod non erat multa diligentia clausum, furtim reseravit; atque marsupium nummis aureis turgidum, ponè ianuam è clauo suspendit, eoque relicto domum rediuit. Pauper prima die è lectulo exiliens, cùm ad fores aperiendas accessisset, crumenam reperit auro prægan-tem; nescius quis ea nocte Nicolaus in domum suam venisset. Quid tunc illo homine lætius beatiusque esse potuisset? Primum ergo habuit, vt laborem desineret, existimans indignum esse eo, sine necessitate sudare, quem Fortunæ riuus inaurasset. Deinde, nullum ampliùs pedem domo extulit, metuens ne se absente aliquis domi thesaurum reperiret. Mox etiam animo angebatur, quòd nesciret, vndenam in suas ædes aurum esset illatum: ma-

E e. ximè

V.

ximè verò, quia insidias metuebat. Itaque ne quis fur irrepens furripere crumenam posset, eam infra lecti sui stramen abstrusam sibi ipse subiecit. Enimverò, ne surgere cogeretur, agrotare se finxit, elumbemque factum simulauit. Noctes igitur diesque vitello suo incubauit, quasi pullum exclusurus. Nesciebat vxor, ignorabat familia, quid misero accidisset. Et tristabantur ipsi quoque, quòd in homine alioqui tam læto insolitam viderent mortitudinem. Ille autem totus erat in quærenda latebra, vbi tutò pecunia abscondi posset. Hæc illum cura coquebat, ista torquebat complusculos dies cogitatio. Interea in singula inquirebat vicinus diues, qui etiam experiebatur, noctu nullos amplius audiri cantus, more consueto, neque inter laborem subitos iocantium risus tolli; denique perspicuè cernebat, omnes veteres Gratias lætitiisque è vicini sui domo emigrasse. Quamobrem, quasi agrotum visitaturus, ad domum illius accessit. Obuiam prodijt vxor, accurrunt pueri, & alius hoc, alius illud narrat. Ille verò, nihil omnium est, inquit, quæ narratis; alia morbi caussa est. Ego noui incantationem, quare adsum, vt eum subitò curem. Dixit, & ad decumbentem introiuit, iussisque ceteris exesse, secretò illi in aurem hæc verba insusurravit: *Redde mihi pecuniam meam, quam de tali accepisti loco, alioquin faciam te suspendi.* His auditis illico exijt è lecto miser, cogitans periculosè agrotare eum, cui morbus à lumbis ad collum ascendit: non voluit ergo medicum experiri, qui laqueum offerret, pro medicina. Mox itaque meliùs habere coepit, postquam aurum reuomuit, quo grauabatur. Redijt quàm primùm amor laborandi; recuperata est animi serenitas; & nocte proxima denuò coepit cantare, ac, sicut priùs solitus erat, cum pueris suis, ioculariter multa faciendo cachinnos mouere, de tristi diuite rursus hilari pauper factus.

VI.

His narratis, in hunc modum alloquitur inopes Bernardinus: *Vide ignorans pauper, quantam lætitiã habere potes, si patienter & iucundè tuleris paupertatem. Nesciunt pauperes, quot, & quantum anxietatibus & angustijs pleni sunt diuites huius mundi. Et licet, quandoq, aliqui mundanis diuitijs, delicijs, & magnificentijs ad libitum fruere, tamen breue est, quod delectat: æternum, quod cruciat. E contra de paupere patiente, illi enim breue est, quod cruciat, æternum*

NUM

num quod delectat. De utroque autem exemplum patet Luc. 16. cap. in diuite Epulone, & Lazaro paupere & patiente. De hoc enim quidam SS. PP. ait: Nihil reperimus scriptum de Lazaro paupere, quod aliquam virtutem fecerit, nisi quod numquam aduersus diuitem murmurauit, qui nullam ei misericordiam impendebat; sed cum gratiarum actione sustinebat onus paupertatis à Domino sibi influctum. De diuite verò dictum est: Homo quidam erat diues: in hoc diuitia. Qui induebatur purpura & bysso: in hoc magnificentia. Et epulabatur quotidie splendide, & in hoc delicia demonstrantur. Ecce tria, in quibus consistit tota concupiscentia mundanorum. Hinc Abraham inquit: Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc hic consolatur, tu verò cruciaris. Talibus monitis excitati pauperes, qui ærumnam suam sponte non susceperunt, saltem æquanimitè ferre possunt. Stultus est, qui suam impatientiâ duplicat calamitatem. Sapientis est, ex necessitate facere virtutem; & malum, quod vitare non potest, fortiter tolerare.

Superest tertia, eaque regno cælorum dignissima pauperum classis, quæ apud D. Bernardinum meritò primum locum obtinet, sed à nobis huc dilata est, tamquam summa, perfectioque totius argumenti, quod deduximus. Est enim paupertas voluntaria. *Profectò non paupertas*, inquit S. Bernardinus, *sed paupertatis amor virtus meretur dici. Voluntas enim sicut radix est meriti, sic & stabilem perseverantiam operatur. Quod necessitate fit, citò soluitur: quod voluntariè accipitur, perseverat.* Proinde B. Franciscus diuinitus inspiratus in 6. cap. sua regula de paupertate loquens ait: Cui, dilectissimi fratres, totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri IESU Christi sub celo in perpetuum habere velitis. Nec inquit, Nihil habeatis: sed Nihil habere velitis, & ad nihil transitorium vitiose afficiamini. Talis igitur voluntarius pauper nihil temporale ambit, aut diligit, nihil perdere metuit. Cur igitur non est beata voluntaria paupertas, cum ipsa de celo proveniat, sit quedam natura libertas, viuendi, dormiendi, standi, & prodendi, & conuersandi, ac quedam securitas, & moriendi tranquillitas? Profectò perfectius est, omnia propter Christum contemnere, quam pauperibus distribuenda seruare. Expeditus viator citò peragit iter suum: Natator nudus liberius transit flumen. Hec paupertas repellit amulorum turbam: nec in manibus suspectorum constitit.

VII.

eius est pauper: omne ostium cum capit; & vbi libet potest reclinare cervicem: litigare non novit: latronem non horrescit: in via per publicam & privatam gradi potest: civitates habitare, & penetrare deserta: terrenum iudicem adire non habet: advocato in sua causa non indiget: libellos recipere, aut porrigere, vel de calumnia iuramenta prestare non novit. Nam etsi auferatur tunica, dabit & pallium, ut rumor forissecus non insurgat; & ne propter rem temporalem videatur odisse fratrem. Huiusmodi pauper nihil cum dolore animi perdit, quia nihil cum vitioso amore possedit: odium ad auferentem, ac tristitiam de amissis sustinere non potest; quia quod non diligebat, immo quod animo contemnebat, amisit: cum omnibus habet pacem, quietem in anima, gaudium in conscientia: liber est in operibus suis, eius oratio non habet ad quod recurratur in terris: sollicitudine nulla tenetur: non oneratur, ut libera voluca. Huiusmodi pauper omnia terrena cuiusvis possessionis existant, suo vendicavit in iure. Nam ab omnibus petere vita necessaria potest, qui nihil vendicat sibi de omnibus in proprium. Eius, qui nullam habet, omnis domus sua est, si capax extiterit, & omnis superfluum est pauperis proprium: non quidem iure legis scripta, sed creata natura. Potest enim exigere ab omnibus habentibus naturali iure, qui praeter naturam nil novit habere. Profecto Evangelica paupertas est propter Christum contemptus omnium terrenorum. Talis paupertas facit hominem dominum omnium contemptorum. Proinde 1. Cor. 3. Contemptor omnium Paulus in persona omnium Apostolorum & Apostolicorum virorum, inquit: Omnia enim vestra sunt, &c. Qui igitur totum despicit mundum, totius mundi dominus est, teste Domino, qui Deuter. 11. cap. ait: Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. Pes siquidem in scripturis affectum significat. Calcare enim despiciere est. Ille profecto totum mundum pedibus calcavit, qui cuncta mundana contempsit. Vnde ex ore Domini omnium illorum Dominus factus est. Proinde 2. Cor. 6. Apost. ait: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.

## VIII.

AG. 4. 34.

Huc vsque S. Bernardinus convenienter, non dictis tantum, sed etiam factis Apostolorum, & primitivae Ecclesiae, primitivae Christianis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, qua vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Non solum ob humilitatem, & reverentiam erga Apostolos, quibus,

VL



vt vult Hugo, ea flexis genibus obtulerunt; verum etiam vt ostenderent contemptum diuitiarum, quasi ea non manibus tractandæ, sed pedibus calcandæ essent. Ita enim Arator loquitur:

*Calcandumq; docent, quod subdunt gressibus aurum,  
De quo terrena veniunt ad pectora curæ.*

Quamquam etiam ea re demonstrarunt, se non tam gratiam facere, quam recipere ab Apostolis. *Maiores ducebant, ait Chryostomus, quod ab eis reciperentur, quam quod darentur dona. Hoc enim est potissimum contemnere opes, hoc est, pascere esurientem Christum, & absq; arrogantia & fastu id facias: sicq; des, quasi tibi ipsi plura, quam danti beneficia dare videaris.* Das enim terram, recipis cælum, Codrus ad breue tempus, Cræsus æternum futurus; immò Cræso incomparabiliter beator. Finem enim æquè habuit Cræsi felicitas, ac Codri calamitas.

Notissimum enim est, quid de Cræso, in historijs memoretur, sed quia opulentos valde erudit, hinc mihi ex Herodoto recensendum est, vbi prius paucis de Codro narrauero, quantam ille, desertis opibus, & abiecta regia purpura, Atheniensibus victoriam, sibi autem gloriam sit consecutus. Erant inter Athenienses & Dorienses similitudinem habentium veteres offensa, quas vindicaturi bello Dorienses, de euentu prælii oracula consuluerunt: Responsum, superiores fore, si regem Atheniensium occidissent. Cum ventum esset in bellum, militibus ante omnia custodia regis præcipitur. Atheniensibus eo tempore rex Codrus erat; qui & responso Dei, & præceptis hostium cognitis, permutato regis habitu, pannosus, sarmenta collo gerens, castra hostium ingreditur: ibi in turba obsistentium, à milite, quem falce astu conuulnerauerat, interficitur. Cognito regis corpore, Dorienses sine prælio discedunt. Atq; ita Athenienses virtute ducis, pro salute patriæ morti se offerentis, bello liberantur. Post Codrum nemo Athenis regnavit: quod memoria nominis eius tributum est. Quare rex iste, è diuite pauper, & sibi immortale decus peperit, & patriæ suæ incolumitatem. Aprè hoc factum Christo pauperi, & crucem, velut sarmenta collo gerenti, ac pro salute humana morti se se offerenti accommodatur: sed etiam appositè comparatur ijs, qui sub schemate paupertatis multa patiuntur, atque ita multis alijs profunt, oratione, patientia, exemplo, merito; sibi verò gloriam pariunt sempiternam.

IX.

Iustin, libi 2

Ec 3

Cræsus

X.

2. Tim. 6. 17.

Herodot. Ha-  
licorn. lib. 1.

Cræsus autem diuerso tramite ad exitium suum tetendit, lu-  
culenta sanè tragœdia ostendens, quàm non solum illi Solon, sed  
etiam nobis S. Paulus sapienter consuluerit, cum scriberet: *Diui-  
tibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neq; sperare in incerto diui-  
tiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum)  
bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare,  
thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant  
veram vitam.* Ita igitur Herodotus loquitur de Solone, qui pe-  
regre profectus in Ægyptum ad Hamasim se contulit, & Sardis  
ad Cræsum. Eò cum peruenisset, hospitaliter à Cræso exceptus est, ter-  
tioq; aut quarto quàm venerat die, iussu Cræsi, ministri circumduxerunt  
hominem circa thesauros: omniaq; quæ illic inerant magna atque  
beata, ostentarunt. Contemplatum eum cuncta, & ut sibi opportunum  
erat, intuitum, talibus percontatus est Cræsus: *Hospes Atheniensis, quia  
multus ad nos rumor de te emanauit, ob tuam sapientiam tuamq; dis-  
cursionem, qui philosophando per multa videndi gratia ex peregrinatu,  
mibi nunc cupido incesit sciscitandi te, æquem vidisti omnium beatissi-  
mum? sperans videlicet, se inter homines beatissimum esse, ita sciscitaba-  
tur. Solon nihil admodum assentatus, sed ut res erat respondens: Ego ve-  
rò, inquit, rex vidi beatissimum Tellum Atheniensem. Quod dictum  
admirans Cræsus, instat interrogare: Qua de re Tellum iudicas esse bea-  
tissimum? Quòd, inquit, Tello in Repub. bene instituta filij erant honesti  
& boni, eorumq; singulis liberi, hiq; omnes superstites, & eum hoc vita,  
quantum in nobis situm est, bene traduxisset, obitus splendidissimus obti-  
git. Siquidem pralio, quod Athenienses cum finitimis gessere apud Elen-  
sinem, hic cum auxilio venisset, hostemq; in fugam vertisset, pulcherrimam  
oppetuit mortem. Quem Athenienses, quo loco occubuerat, in eo  
loco publice humauerunt, magnificeq; honorarunt. Multa de Tello ac  
beata Solone referente, excitatus Cræsus interrogat. Quemnam secun-  
dum ab illo vidisset, putans haud dubie secundas se partes esse laturum:  
Cleobin, inquit ille, & Bitonem: quippe his & genus Argiuum erat, &  
victus suppeditabat: ad hac corpori robur tantum, ut & in certaminibus  
ambo pariter victores extiterint, & de his ista memorentur. Cum dia-  
festus Iunonis apud Argiuos esset, oporteretq; omnino matrem horum  
ad templum ferri bobus iunctis, hiq; boues ex agro eis ad horam præsto  
non essent: tunc iuuenes, exclusi tempore, iugum subeantes plaustrum  
pertra-*

pertraxerunt, quo mater vehabatur, & quinque ac quadraginta per  
 stadia trahentes ad templum peruenerunt. Quibus, cum hac fecissent,  
 & ab omni coetu conspecti fuissent, optimus obtigit vita exitus: per quem  
 Deus indicauit, satius homini esse mori, quam viuere. Nam cum cir-  
 cumstantes Argini laudibus tollerent, viri quidem consilium filiorum, fa-  
 mina verò eorum matrem, quòd tales filios haberet: mater gaudio persua-  
 sa cum liberorum facto, tum forma, ante simulachrum stans precata est  
 deam, ut Cleobi & Bitoni filijs suis daret id, quod optimum esset homini  
 contingere. Post hanc precationem, ubi sacrificarunt, epulatiq; sunt,  
 quiescentes in ipso delubro, non sunt amplius excitati, sed hoc vita exitu  
 perfuncti. Quorum effigies, tamquam virorum, qui optimi extitissent,  
 Argini factas, apud Delphos collocarunt. Et his quidem Solon secundas  
 beatitudinis partes tribuebat. Cræsus autem conturbatus inquit: Ho-  
 spes Atheniensis, ad eone tibi quasi nulla contemnitur nostra felicitas, ut  
 ne priuatis quidem viris nos aequiparandos ducas? Cui ille, Me, Cræse,  
 gnarum, omne numen inuidum esse, & turbulentum, de rebus humanis  
 interrogas. In diuturno enim tempore, multa videntur, qua nemo velis  
 videre: & tolerantur multa, qua nolit quisquam tolerare. Proponamus  
 enim homini terminum vita ad septuaginta annos, qui anni consistant ex  
 viginti quinq; millibus ac ducentis diebus, mense intercalari non posito.  
 Quòd si velis reliquum annorum ob hunc mensem prolixius fieri, ut hora  
 ad id, quod deest, accedentes congruant, menses quidem intercalares su-  
 pra annos septuaginta fient triginta quinq;, dies autem ex his mensibus  
 mille quingenti. Horum dierum omnium, qui sunt in septuaginta annis  
 numero viginti sex millia ducenti quinquaginta, nullus prorsus qualem-  
 alium rem affert. Ita igitur, Cræse, omnino calamitosus est homo. Verùm  
 tu mihi videris & diuitijs valde pollere, & permultorum hominum esse  
 rex; sed quòd me interrogasti, nondum te appello, prius quàm bene vita  
 defunctum te audiero. Neq; enim beatior est, qui magnis opibus predi-  
 tus est, eo qui diurnum victum habet: nisi eidem omnibus bonis predi-  
 to, fortuna concesserit, bene vita defungi. Etenim complures homines  
 sunt perquam locupletes, minimè tamen beati: complures item medio-  
 cria habentes patrimonia, fortunati. Quorum is, qui diuitijs affluit,  
 sed non beatus est, duabus tantummodo rebus antecellit fortunatum:  
 at hic illum pluribus. Ille ad cupiditates implendas, & ad magnos ca-  
 sus ferendos potentior est: hic etsi illo inferior est in his duobus, qua bene  
 illi à

illi à fortuna denegantur, tamen excellit, quòd illorum inexpertus est, quòd prospera fruitur valetudine: quòd malorum expertus, quòd bonorum liberorum parens, quòd formosus est. Qui si prater hac diem quoque suum rectè obierit, is est (quem quaris) dignus, qui vocetur beatus, prius tamen, quàm ad obitum peruenerit, nequaquam beatus appellandus, sed fortunatus: quæ omnia consequi quàm diu sis homo, impossibile est. Sicut nec una regio cuncta sibi ipsi suppeditat, sed aliud habens, alio indiget: quæ tamen habet plurima, ea est optima. Quemadmodum & hominis corpus unum aliquod non est consummatum, quia aliud habet, alio vacat. Quisquis autem horum plurima perpetuo habuerit, dehinc placido animo è vita excefferit, hic apud me nomine hoc veluti rex donari meretur. Omnis rei oportet inspicere exitum, quò sit eiusura: quoniam multos Deus, quibus fortunas suppeditauerat, radicitus euertit. Hac Solon neque assentando Cræso, neque ullius eum momenti faciendo locutus, dimittitur. Saneque est visus esse indoctus, qui bonis presentibus pratermissis, iuberet omnium rerum inspicere exitum.

XL.

Ita ridentur à stultis sapientes. Ita cum Phrygiis sapiunt, quos Plutus excaecat. Sed serò tandem palinodiam cantant. Quod & Cræso accidit. Nam post abitum Solonis, inquit auctor, ingens deturum indignatio Cræsum excepit, id quod credibile est ei idè accidisse, quoniam seipsum omnium hominum beatissimum arbitratus fuisset. Patuit enim tunc fortunam esse fugacem. Nam primò eum somnium exterruit. Dein filius in venatione aprorum, ab illo ipso occisus, cui in custodiam datus erat, contristauit. Tertio oraculo malè intellecto deceptus est. Quarto infeliciter cum Cyro pugnavit. Quinto Sardis vrbs est expugnata. Sexto ipse Cræsus viuus captus. Itaque Persæ & Sardibus potiti sunt, & Cræso viuo, cum regnasset annos quatuordecim, totidemque dies fuisset obsessus, amisso magno imperio, ut ei fuerat responsum. Eum captum Persæ ad Cyrum perduxerunt, quem ille vinctum compedibus, super ingentem, quam struxerat, lignorum struem imponit, circaque eum bis septem Lydorum filios, siue habens in animo primitias has alicui Deo offerre, siue volens votum persolvere, siue cupidus sciendi, num quis demonum liberaret Cræsum, quem religiosum esse audierat, quò minus pyra impositus visus concremaretur. Hac quidem Cyrum fecisse aiunt. Cræso autem super pyram stantibus, etsi in tanta calamitate posito, tamen venisse in mentem Solonis, quod

ali eo

ab eo sibi nutu Dei fuisset dictum, ex viuentibus beatum esse neminem. Quod dictum ubi subyt Cræso, ferunt eum ex vehementi defectione animi victum ingemiscientem ter Solonem nominasse; & Cyrum, cum audisset, iussisse interpretes eum percontari. Quemnam inuocaret? illosq; accedentes fuisse percontatos, & hunc interrogatum silentium egisse. Deinde cum loqui cogeretur, dixisse: illum nominavi, qui ut omnes tyrannos alloqueretur, ego quam ingentem pecuniam, preoptarem. Eum non planè loquentem, rursus interrogat, quidnam esset, quod dixisset? Efflagitantibus atq; instantibus interrogatione, inquit, quemadmodum Solon, qui esset Atheniensis, ad ipsum a principio venisset, & intuitus omnes eius opes coram, pro nihilo duxisset. Adeò qua de ipso dixerat, ea omnia euenisse: neque hæc magis de seipso, quam de omni hominum genere, & de his præsertim, qui sibi ipsis beati viderentur. Hac Cræso referente, jam pyra incensa, ardere extrema cepisse, & Cyrum auditis per interpretem, qua Cræsus dixisset, pœnituisse: cum se quoq; hominem esse cognosceret, qui alium hominem, qui inferior non fuisset opibus, vium rogo traderet. Præterea veritum ob id pœnam, ac reputantem, nihil esse rebus humanis stabile, iussisse ignem celerrimè extinguere jam incensum, Cræsumq; deponi, & quæ circa eum erant. Verùm eos, qui ignem iam conabantur extinguere, non eualuisse.

Huc vsque Cræsi, diuitumque omnium, qui in opibus beatitudinem suam constituunt, miseria. Nempe ita & ipsi loquentur, cum diuite epulone in inferno, & damnatorum flamma cruciati. Ibi frustra, quia serò, deplorabunt suam insaniam, cum non iam Soloni, sed neque ipsi Christo crediderint, qui non dixit: *Beati diuites*, sed *Beati pauperes*, itemque: *Va vobis diuitibus*. Sed hoc vix nondum credunt, quia nondum sentiunt, alioquin & ipsi sibi facerent amicos de mammona iniquitatis. Nam audi, quid de Cræso memoret Herodotus. Iusserat iam Cyrus rogam dirui, pyramq; extinguere, sed indomitam. ait igitur, *ibi Cræsum, cognita per Lydos Cyri pœnitentia cum cerneret unumquemq; extinguendo deuoluendog; igni incumbentem nihil tamen profici, exclamando inuocasse Apollinem, ut ipsi adesset, si quod ab eo donum illi gratum fuisset oblatum, ipsumq; presenti malo liberaret.* Ita cum lacrymis Cræso deum innocante, nimbos repente, cum serenum ac tranquillum esset, confractos esse, imbresq; erupisse, ac vehementissima aqua pluuisse, & rogam extinxisse:

Ff

extinxisse:

XII.

Matth. 5. 3.

Luc. 6. 24.

Luc. 16. 9.

Dan. 4. 24.  
Luc. 16. 9.

S. Gregorius  
Naz. orat. 16.  
de pauperum  
amore.

extinxisse: Non disputo cuius hoc ope acciderit. Illud hinc diu-  
ti suadeo: *Peccata tua eleemosynis redime.* Et iterum, *ô diuites, facite*  
*vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant*  
*vos in aeterna tabernacula.* Nam, vt S. Gregorius Nazianzenus lo-  
quitur: *Nullus cultus Deo perinde gratus est, vt misericordia erga*  
*pauperes.* Nam primò, *Deus vult quosdam esse pauperes, vt nos infirmi-*  
*tatis nostra submoneant.* Secundò *pauperes inuandi sunt: quia fratres*  
*nostri sunt, tum natura; tum imaginis Dei in Christo renouata; tum*  
*fidei, spei, dilectionis, & adoptionis diuina, tum vite beata respectu.* Ter-  
tiò, *quia ad Christum communem fratrem aspiramus.* Quarto, *quia*  
*cùm nihil sit stabile in presenti, de opibus per pauperes in tuto collocandis*  
*est cogitandum.* Quintò, *ob infinita huius rei commoda, quae ad triare-*  
*uocari possunt, scilicet ex malo praeseruatio, salutis certitudo, promi-*  
*rum maxima fiducia.* Sextò, *quia Deus, qui innumera nobis contulit*  
*beneficia, iubet, vt pauca fratribus largiamur.* Septimò, *nihil tam Deo*  
*proprium, quam misericordia & beneficentia, ille autem nobis imitan-*  
*dus est.* Octauò, *pauperes sub speciali cura & prouidentia latent, teste*  
*Scriptura.* Nonò, *quia in die iudicij electi ob eleemosynas factas calo,*  
*reprobi ob eas neglectas inferno adiudicabuntur.*

## CAPVT XVIII.

*Quid sit Honor, Laus, Gloria? quantum bonum? & aequè istud  
bonum improbis ac probis contingere.*

I.  
Aristot. lib. 4.  
Ethic. c. 3.

Idem 1. Ethic.  
cap. 5.

S. Thom. 2. 2.  
q. 103. a. 1. in  
corp.

**H**inter externa atque fortuita hominis bona, *honor est ma-*  
*ximum,* vt Philosophus testatur. Quod bonum etiam  
ex diuitijs saepe confurgit, quemadmodum contemptus  
ex paupertate. Non tamen est ille nexus ita necessarius, vt non  
aliquando & opes dedecori sint, & paupertas honoretur. Quam-  
uis vtrumque, & gloria scilicet, & ignominia alijs quoque varijs  
ex rebus oriatur. *Honor* quippe ex mente Aristotelis proprie est  
*exhibitio reuerentia in testimonium virtutis,* quae multiplex esse con-  
suevit; seu potius si secundum vulgi iudicium, & latius loqua-  
mur, *est testificatio de excellentia alicuius,* siue is excellat virtute, cui  
*honor praecipue debetur; siue sanguine, siue opibus, siue indole,*  
*siue scientijs & arte, siue officijs, & dignitate, aut alijs titulis, qui*  
*significant*